

primum de Linguae moderamine, dein de fuga Superbiae, Invidiae, Irae &c. Verum, ut monui, multa putredine consumpta, alia extrita sunt, et Librarius spatio arctatus sub finem literas minuit, lineas densavit.

CCCCXXVII.

- R. 1986 Codex membranaceus lat. Sec. X-IV. Folior. 195. f. per duas columnas luculente exaratus, coloribus distinctus et olim *Domus orti beate marie prope pragam Ordinis Carthusiensium* continet D. *Bernhardi Abb. Claraevall. Sermones in Cantica Cantorum*. In edit. *Maur. Paris. T. IV.* habentur horum *Sermonum LXXXVI.* in praesenti Codice numerantur *LXXXIII.* Ita enim Rubrica calcis: *Notandum quod in hoc libro continentur LXXXIII. sermones quos beatus bernhardus compilavit super cantica canticorum. et in eisdem sermonibus tantummodo duo capitula cum dimidio (ne id quidem, sed stitit in C. 3. v. 1.) exponuntur. Aut forte morte preuentus plura non edidit. aut si de hoc plura scripsit. hec in hoc volumine non habentur.* Verum adhibito examine deprehenduntur in Codice nonnisi *Sermones LXXXII.* Ultimus enim non est, nisi repetitus *Quinquagesimus tertius,* in quo post verba sub initium: *observante etiam hic ordinem.*— multa desunt, quae in ultimo subplentur. In Textu paucae ab Editis occurrunt differentiae, nec, quae illum perfici-

ant. In principio *Serm. XX. Ut a Magistri verbis &c.* Codex recte interponit *Gentium.*

CCCCXXVIII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 3297 XV. Folior. 133. f. per duas columnas nitidissime exaratus, picturatis initiorum literis, prioribus tamen 14. Textus foliis ab alia minus eleganti manu, ut videtur, subpletus continet D. *Bernardi Abb. Claraevall. Sermones in Cantica Cantorum* numero *LXXXIII.* Igitur postremi IV. editionis *Maur. T. IV. col. 1557.* absunt. Textum praecedat *Registrum sive Tabula Cantici Cantorum cum Prologo,* quo fufe ejus usus docetur. Lectio proba est.

CCCCXXIX.

Codex partim membranaceus, R. 2010 partim chartaceus Sec. XV. Folior. 225. f. per duas columnas non eadem manu, nitide tamen exaratus, minio distinctus, et prius *fratrum Carthusiensium domus Porte beate Virginis Marie,* videlicet in *Axpach,* continet I. *Sermones LXXXIII. D. Bernardi Claraev. Abb. in Cantica Cantic.* prorsus ita comparatos, inscriptos et Elencho instructos, ut e Codice *Carthusiensium prope Pragam* paullo ante retuli, unde illius *Απολογιστον* puto. Scriptor se versus pangere ratus haec ad Elenchum rubro subjecit: